

per totum annum. Codicem pulcherrimum in Italia scriptum cum e penicilli gratia, tum e *Calendario* colligo, ubi mensis *Madius* pro *Majo*. At quando? In Litanis OO. SS. fol. 93. p. 2. oratur pro *Papa Benedicto*, quo nomine toto illo temporis spatio nemo fuit, nisi *Petrus de Luna* Antipapa; is vero jam a. 1424. diem obiit, et five *Scripturae*, five *Picturae* indoles *Seculum* provectius loquitur. Itaque censeo, *Librarium* plus manu, quam iudicio valentem e vetustiore Codice omnia *κατα λέξιν* descripsisse.

## DCCCLXXXIII.

R. 44 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 526. 4. min. per duas columnas nitidissime exaratus, auroque et coloribus speciosus sacrum Chori Officium, vulgo *Breviarium*, continet, et quidem in usum *Familiae Benedictinae*, nam fol. 376. legas: *In festo sanctissimi patris nostri benedicti*. item fol. 342. in Litanis OO. SS. *Sancte pater benedicti*, et in iisdem fol. 343. oratur pro *Praesidente*, videlicet *Congregationis* alicujus, et fol. 236. p. 2. memorantur *Festa particularia monasteriorum nostrae congregationis*, et cum ibi, tum in *Calendario* praevio *Festum S. Justinae* minio scribitur, ut adeo *Congregationem Patavinam* tenere videamur, concludique possit, Codicem istum cum aliis e *Neapolitano S. Severini* Coenobio ad nos delatum fuisse. Quod si vel ipsum Coenobium nosse cupi-

as, pro quo scriptus fuit, *S. Inuentius* s. *Juventius* ad diem 8. *Febr.* et *Translatio S. Syri* ad 17. *Maji Papiam* te deducunt. Continet ille primum *Officium de Tempore*, dein *de Sanctis* speciatim et in communi, demum pro fidelibus *Defunctis*. Verum ante fol. 246. et 346. *Folia* quaedam excidere.

## DCCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2159 XV. Folior. 170. f. max. caractere praegrandi eleganter exaratus, coloribus distinctus, pluribusque Iconismis et marginum ornamentis auro fulgidis et scite picturatis speciosus *Psalmodiam Chori* a *Paschate* ad *Adventum* primum de *Tempore*, dein de *Sanctis* *Notis* musicis illigatam exhibet, et quidem in usum *Carthusianorum*; fol. enim 43. p. 2. *Servator* ipse *Fratri* hujus ordinis *sacram Hostiam* porrigit, et fol. 123. p. 2. *Frater* ejusmodi ad aras facienti *Sacerdoti* ministrat. Itaque Codicem *Carthusiae S. Trinitatis ad Brunnam Morav.* fuisse censeo. *Memorari* merentur et aliae quaedam *Picturae*. Ita fol. 1. p. 2. *Anastasi* *Dominicae* adduntur in margine *Piscis Jonam* reddens, *Samson* *leonem* jugulans, et *Mel* e *faucibus leonis* progressum. Ad *Iconem* fol. 43. p. 2. supra adductam dormit in *lemnisco Elias* obvolitante ei *pane subcinericio*. Fol. 58. p. 2. scire velim, quid portendat *Imperator Caroli M.* habitu d. *sceptrum*, s. *pomum Imperii*